



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 54. Epistolæ ad S. Hugonem Cluniacensem datæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Papa hac de re Legatis quoque suis Hu-  
goni Diensi & Hugoni Cluniacensi scri-  
psit, suntque hæ duæ epistolæ vigesima  
nona Augusti anno millesimo septuagesimo  
octavo datæ.

## §. LIV.

*Epistolæ ad S. Hugonem Cluniacensem datæ.*

Gregorius Papa fiduciam singularem in  
S. Abbate Cluniacensi posuerat, ut  
ex ejus epistolis præsertim ex tribus, in  
quibus angustias suas familiariter aperit  
& deflet, dispicimus. In aliqua earum,  
quam in primo Pontificatus sui anno ad  
eum dedit, queritur, quod Hugo nec-  
dum ad consolandum se Romam venisset,  
& hortatur, ut iter acceleret. *lib. I. ep. 62.*  
*Nos enim, ait, quamquam infirmi, quamquam supra  
vires ingenii & corporis, soli tamen por-  
tamus non tantum spiritualium, sed &  
secularium negotiorum ingens pondus, &  
casum nostrum quotidie formidamus, qui  
nullum auxilium in hoc Sæculo nequam  
reperire possumus. Unde per omnipoten-  
tem Dominum rogamus, ut fratres vestros  
jugiter pro nobis Deum orare commo-  
neatis.*

In alia epistola anni sequentis dicit:  
*Ego sæpe Deum rogavi, ut me de præsen-  
ti vita tolleret, aut Ecclesiæ, Matri no-  
stræ communi, per me prodesset. Premit l. II. ep. 49.*

Bb 5

enim

Sæculum XI. enim pectus meum dolor immanis & tristitia immensa. A.C. 1078. Ecclesia Orientalis a Fide

Catholica deficit, & Christiani passim occiduntur. Si Occidentem, aliasve Mundi partes, intueor, vix Episcopos, quorum introitus Canonicus fuit, invenio, & tales, qui Christianum populum Christi amore potius, quam seculari ambitione regant. Inter seculares vero Principes nullos novi, qui Dei honorem suæ gloriae, & justitiam lucro præponant. Porro populos, inter quos habito, videlicet Romanos, Longobardos, Normannos, sicut sæpe illis dico, Judæis & Paganis quodammodo pejores esse existimo. Ad me ipsum cum redeo, ita me peccatis meis oppressum video, ut nulla Salutis spes nisi in sola Jesu Christi misericordia supersit. In fine epistolæ precibus monachorum Cluniacensium se commendat.

Tandem in alia epistola ejusdem anni millesimi septuagesimi octavi loquitur *V. ep. 21.* in hunc modum: Tot angustiis premimur, tantisque laboribus fatigamur, ut ii, qui nobiscum sunt, vix tantas ærumnas æquo animo conspicere valeant. Et licet Cælestis tuba nunciet, quemque pro sui laboris magnitudine mercedem congruam recepturum esse, frequenter tamen hæc vita nobis tædio est, & mortis desiderium subit. Cum Jesus afflicto mihi manum porrigit, maximo lætitiæ sensu reficior,

cun

cum retrahit, meque mihi relinquit, per-  
 turbor, & gemens ad Salvatorem meum  
 exclamo: si tanta Moyfi aut Petro impo-  
 neres, credo fore, ut laboris mole obrue-  
 rentur. (\*)

§. LV.

Odo Episcopus Ostiensis.

Sub idem tempus Papa ab Hugone Ab-  
 bate petiit aliquot monachos, viros  
 strenuos, sibi mitti, quorum opera in re-  
 gimine Ecclesiæ uteretur. Misit Hugo  
 Odonem Monasterii Cluniacensis Prio-  
 rem, & Petrum, postea Abbatem Caven-  
 sem prope Salernum. Odo, *Eudes*, seu  
 Otto (idem enim est nomen) Dynastæ  
*de Lageri* prope Castellionem ad Matro-  
 nam annem filius, natus circa annum  
 millesimum quadragesimum secundum,  
 & Remis educatus erat, ubi sub S. Bru-  
 none, tunc illius Ecclesiæ Cancellario,  
 literarum elementis imbutus est, exinde  
 etiam Canonicis adscriptus. Quia ve-  
 ro in eodem Capitulo Regula exacte ser-  
 vabatur, non nulli scripserunt, ipsum Or-  
 dinis Canonicorum Regularium fuisse.  
 Anno millesimo septuagesimo Archidia-  
 cono munere Remis fungebatur, sed pau-  
 lo post mundum relinquere statuit, ut  
 con-

*Orderic.  
 lib. IV. an.  
 1073. Hist.  
 S. Mart.  
 Tornas. to.  
 12. Spicil.  
 p. 464.*

(\*) Magna sane animi Sanctitas & candor ex  
 hac S. Gregorii epistola elucet.